

S. AUR AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE GENESI

CONTRA MANICHÆOS

LIBRI II¹.

LIBER I.

IN QUO A MANICHÆORUM CALUMNIIS VINDICATUR INITIUM GENESEOS, SCILICET AB
HOCCE VERSICULO, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, USQUE AD
ILLUM QUO DEUS SEPTIMO DIE REQUIEVISSE DICITUR.

I. Si eligerent Manichæi quos deciperent, eligeremus et nos verba quibus eis responderemus: cum vero illi et doctos litteris, et indoctos errore suo persequantur, et cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere; non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorum-

¹ Scripti circiter annum Christi 389. — Vide *Retract.* lib. 1, cap. 10.

dam vere Christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus litteris, tamen alios libros nostros, quos adversus Manichæos edidimus, cum legissent, viderunt eos ab imperitoribus, aut non, aut difficile intelligi, et me benevolentissime monuerunt, ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt.

II. Solent ergo Manichæi Scripturas Veteris Testamenti, quas non noverunt, vituperare, et ea vituperatione infirmos et parvulos nostros, non inventientes quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere. Quia nulla Scriptura est quæ non apud eos qui illam non intelligunt, facile possit reprehendi. Sed ideo divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit: « Oportet hæreses esse, ut » probati manifesti fiant inter vos¹. » Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere: sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent: docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines, si bonæ sunt fidei, non cedunt hæreticis, sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pulsantibus aperiatur. Qui autem desperant se posse in catholica disciplina invenire quod quærunt, atteruntur erroribus; et si perseveranter inquirunt, ad ipsos

¹ I Cor. XI, 19.

fontes a quibus aberraverant, post magnos labores fatigati atque sitientes et pene mortui revertuntur.

III. Primum ergo librum Veteris Testamenti, qui inscribitur Genesis, sic solent Manichæi reprehendere. Quod scriptum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram, » quærunt, in quo principio, et dicunt: Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum et terram, quid agebat antequam faceret cœlum et terram? Et quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tempora æterna? His respondemus, Deum in principio fecisse cœlum et terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum Verbum esset apud Patrem, per quod facta et in quo facta sunt omnia. Dominus enim noster Jesus Christus cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit: « Principium, quia et loquor vobis¹. » Sed etsi in principio temporis Deum fecisse cœlum et terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipse sit fabricator? Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo Deus nondum fecerat cœlum et terram. Cum autem dicitur: Quid ei placuit subito? sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus; quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe et ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum, et laudant et honorant: et ejus Epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus:

¹ Joan. VIII, 25.

« Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in » spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus » ante tempora æterna : æterna enim tempora quid ante » se habere potuerunt ? » Hoc ergo cogantur exponere, ut intelligant se non intelligere, cum temere volunt reprehendere, quod diligenter quærere debuerunt.

IV. Si autem non dicunt : Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram, sed tollunt inde, subito : et hoc tantum dicunt : Quid placuit Deo facere cœlum et terram ? Non enim coævum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus : mundum quippe fecit Deus, et sic cum ipsa creatura quam Deus fecit, tempora esse cœperunt ; et ideo dicuntur tempora æterna. Non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum : sicut omnia quæ fecit Deus bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, quia ille fecit, hæc autem facta sunt : nec ea genuit de se ipso, ut hoc essent quod ipse est ; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt, nec Filio ejus per quem facta sunt, justum est enim. Si ergo isti dixerint : Quid placuit Deo facere cœlum et terram ? Respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedit voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit : Quare fecit Deus cœlum et terram ? Respondendum est ei : Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit : Quare voluit facere

¹ Tit. 1, 1 et 2.

cœlum et terram ? majus aliquid quærit quam est voluntas Dei : nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo : quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti de quo Apostolus dicit : « Finis autem præcepti est charitas de corde puro, » et conscientia bona, et fide non ficta¹ : » quod isti si haberent, non essent hæretici.

V. Quod autem sequitur in libro Geneseos : « Terra » autem erat invisibilis et incomposita, » sic reprehendunt Manichæi, ut dicant : Quomodo fecit Deus in principio cœlum et terram, si jam et terra erat invisibilis et incomposita ? Ita cum volunt Scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est : « In » principio fecit Deus cœlum et terram, terra autem erat » invisibilis et incomposita², » id est, in principio fecit Deus cœlum et terram, terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret, antequam dicere : « Fiat lux, et, Fiat firmamentum, et, Congregentur aquæ, et Appareat arida³, » et cætera quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea parvuli capere ? Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel derideat quia superbi sunt.

VI. Sequitur in eodem libro : « Et tenebræ erant super

¹ 1 Tim. 1, 5. — ² Gen. 1, 1 et 2. — ³ Ibid.

» abyssum¹. » Quod Manichæi reprehendunt dicentes : In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiae, et ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis et vermiculis cernimus, illi sic colunt ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse in qua Deus habitat, unde est illud lumen de quo in Evangelio legitur : « Erat lumen verum, quod illuminat » omnem hominem venientem in hunc mundum². » Nam solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis et mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium avium oculos pascit³, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret : de qua consequenter hoc loco dicitur.

VII. « Et dixit Deus : Fiat lux. » Quia ubi lux non est, tenebræ sunt : non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere : Unde erant

¹ Gen. 1, 6. — ² Joan. 1, 9. — ³ Vide 1 Retract. cap. x, n. 2.

ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? Quis illas fecerat vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ. Quasi aliquid sint tenebræ : sed ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua et corpora et formas et animas in illis corporibus fuisse arbitrantur, ideo putant quod tenebræ aliquid sint : et non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic et tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse, sic potest et alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscepimus refellere atque convincere. Nunc enim ea quæ reprehendunt in Veteri Testamento, statuimus defendere quantum vires Dominus præstare dignatur, et in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum cæcitatem.

VIII. Quod autem scriptum est : « Et spiritus Dei superferebatur super aquam, » sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant : Aqua ergo erat habitaculum Spiritus Dei, et ipsa continebat Spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, et excæcantur malitia sua. Cum enim dicimus : Sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra habitet sol, et terra solem contineat? Et tamen non sic Spiritus Dei superferebatur super aquam, sicut superfertur sol super terram; sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ ille Spiritus, sicut sol terræ superfertur, sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo iis rebus, quæ fabricandæ sunt, superferatur voluntas

fabri. Quod si hæc humana et quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt quærant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa concidi non potest quæ incommutabilis manet, sed quæcumque plagæ in illam emissæ fuerint repercutiuntur, et majore ictu redeunt in eos qui cædere audent, quod credere deberent, ut intelligere mœrentur.

IX. Deinde quærunr, et insultando interrogant: Unde erat ipsa aqua super quam ferebatur Spiritus Dei? numquid enim superius scriptum est, quod Deus aquam fecerit? Hoc si pie quærerent, invenirent quemadmodum intelligendum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur quam videre jam possumus et tangere: quomodo nec terra quæ incomposita et invisibilis dicta est, talis erat qualis ista quæ jam videri et tractari potest. Sed illud quod dictum est: « In principio fecit » Deus cœlum et terram, » cœli et terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere. Primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis Chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei: « Qui fecisti mundum de materia informi¹. » Quod aliqui codices habent, de materia invisa.

X. Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem

¹ Sap. xi, 18.

Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, et argentum adjuvat argentarium, et aurum aurificem, et terra figulum adjuvat ut possit perficere opera sua. Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. Non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid: sic et cæteri omnes hujusmodi opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens: quod sacrilegum est credere.

XI. Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram; » non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat: nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia, non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt: sic dictum est: « In principio fecit Deus cœlum et terram, » quasi semen cœli et terræ, cum in confuso adhuc esset cœli et terræ materia: sed quia certum erat inde futurum esse cœlum et terram, jam et ipsa materia cœlum et terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit: « Jam non dicam vos » servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos » autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo » nota feci vobis¹; » non quia jam factum erat, sed quia certissime futurum erat. Nam post paululum dicit illis: « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis por-

¹ Joan. xv, 6.

» tare modo ¹. » Ut quid ergo dixerat : « Omnia quæ au-
» divi a Patre meo nota feci vobis : » nisi quia se sciebat
hoc esse facturum? Sic etiam cœlum et terra potuit dici
materia unde nondum erat factum cœlum et terra sed
tamen non erat aliunde faciendum. Innumerabiles ta-
les locutiones in Scripturis divinis inveniuntur. Sicut in
consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissime
speramus futurum, dicimus : Jam factum puta.

XII. Hanc autem adhuc informem materiam, etiam
terram invisibilem atque incompositam voluit appellare,
quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus spe-
ciosa quam cætera. Invisibilem autem dixit, propter obs-
curitatem; et incompositam, propter informitatem. Eam-
dem ipsam materiam etiam aquam appellavit, super quam
ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabrican-
dis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia po-
test attingere, humanis tamen verbis nescio utrum vel a
paucis hominibus possit exponi. Propterea vero non ab-
surde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ
in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores vel herbæ,
et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nu-
triri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum et terra, sive
terra invisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris,
sive aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt in-
formis materiæ : ut res ignota notis vocabulis insinuaretur
imperitoribus; et non uno vocabulo, sed multis, ne si
unum esset, hoc putaretur esse quod consueverant homi-
nes in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cœlum et
terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est
terra invisibilis et incomposita et tenebræ super abyssum,
quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari po-
terat, etiam si esset homo qui videret atque tractaret.

¹ Joan. xvi, 12.

Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subiacebat operanti,
ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nomi-
nibus materia erat invisibilis et informis, de qua Deus condi-
dit mundum.

XIII. « Et dixit Deus : Fiat lux; et facta est lux. » Hoc
non solent reprehendere Manichæi, sed illud quod sequi-
tur : « Et vidit Deus lucem quia bona est ¹. » Dicunt
enim : Ergo non noverat Deus lucem, aut non noverat
bonum. Miseri homines, quibus displicet quod Deo pla-
cuerunt opera sua, cum videant etiam hominem artifi-
cem, verbi gratia, lignarium fabrum, quamvis in com-
paratione sapientiæ et potentiæ Dei pene nullus sit,
tamen tandiu lignum cædere atque tractare dolando, as-
ciando, planando, vel tornando atque poliando, quo-
usque ad artis regulas perducatur quantum potest, et
placeat artifice suo. Numquid ergo quia placet ei quod
fecit, ideo non noverat bonum? Prorsus noverat intus in
animo, ubi ars ipsa pulchrior est, quam illa quæ arte fa-
bricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris
probat in opere, et hoc est perfectum quod artifice suo
placet. « Vidit ergo Deus lucem quia bona est : » quibus
verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed
placuisse perfectum.

XIV. Quid si dictum esset : Miratus est Deus lucem
quia bona est? quantum clamarent? quantum litigarent?
Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet, et
tamen legunt isti, et laudant Dominum nostrum Jesum
Christum in Evangelio admiratum esse fidem credentium?
Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam
mirabatur? Quod si et alius eam fecisset, ut quid mira-
retur qui præsciens erat? Si solvunt Manichæi quæstionem
istam, videant quia et illa solvi potest. Si autem non sol-

¹ Gen. 1, 4. — ² Matth. viii, 10.

vunt, quid ista reprehendunt quæ ad se nolunt pertinere, cum illa quæ ad se pertinere dicunt, non noverint? Quod enim miratur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt et verba Veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriamur, et ad ea perveniamus quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.

XV. « Et divisit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus diem, Lucem, et tenebras vocavit, Noctem¹. » Hic non dictum est: Fecit Deus tenebras; quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est: distinctio tamen facta est inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando vocem facimus; silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est: distinguimus tamen sensu quodam inter vocem et silentium, et illud vocamus vocem, illud silentium. Quemadmodum ergo recte dicimur facere silentium, sic recte multis divinarum Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus et locis vel non dat, vel detrahit. Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocavit Deus diem lucem, et tenebras noctem, utrum hebræa, an græca, an latina, an aliqua alia? et sic omnia quæ vocavit, quæri potest qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. « Vocavit » autem dictum est, « vocari fecit: » quia sic distinxit omnia, et ordinavit, ut et discerni possent, et nomina accipere. Sed postea suo loco requiremus, utrum vere sic est

¹ Gen. 1, 5.

accipiendum, quia vocavit Deus: quoniam quantum accedimus in Scripturis et in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus: Ille paterfamilias ædificavit domum istam, id est, ædificari fecit, et multa talia per omnes libros divinarum Scripturarum inveniuntur.

XVI. « Et facta est vespera, et factum est mane dies » unus¹. » Et hinc calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi a vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, et divisum est inter lucem et tenebras, et vocata est lux dies, et tenebræ nox; hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta cum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane. Nunc enim cum factum est mane, et transactus est unus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane quod jam factum est, et post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, et transit alter dies: atque ita deinceps cæteri dies transiunt.

XVII. « Et dixit Deus: Fiat firmamentum in medio » aquæ, et sit divisio inter aquam et aquam; et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus » inter aquam quæ est super firmamentum, et inter aquam » quæ est sub firmamento, et vocavit Deus firmamentum, » Cœlum; et vidit Deus quia bonum est². » Hæc non memini Manichæos reprehendere solere: tamen quod divisæ sunt aquæ ut aliæ essent super firmamentum, et aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo firmamento cœli materiam cor-

¹ Gen. 1, 5. — ² Ibid. 6-8.

poralem rerum visibilium ab illa incorporali rerum invisibilium fuisse discretam. Cum enim cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli : et ideo fortasse super cœlum esse dicuntur aquæ invisibiles, quæ a paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum : quanquam de hac re nihil temere affirmandum est ; obscura est enim, et remota a sensibus hominum : sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. « Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus. » Jam omnia hæc quæ repetuntur, sicut superius intelligenda atque tractanda sunt.

XVIII. « Et dixit Deus : Congregetur aqua quæ est » sub cœlo in congregationem unam et appareat arida, et » sic factum est. Et congregata est aqua quæ erat sub cœlo » in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit » Deus aridam, Terram : et congregationem aquæ vocavit » Mare. Et vidit Deus quia bonum est ¹. » In isto loco Manichæi dicunt : Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum ? Sed jam superius dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam super quam ferebatur Spiritus Dei, unde erat Deus omnia formaturus. Nunc vero cum dicitur : « Congregetur » aqua quæ est sub cœlo in congregationem unam : » hoc dicitur ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio quas videmus et tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur : « Appareat arida, » quid aliud dici intelligendum est, nisi ut illa materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista quam videmus et tangimus ? Superius ergo quod nominabatur terra in-

¹ Gen. 1, 9 et 10.

visibilis et incomposita, materiæ confusio et obscuritas nominabatur : et quod nominabatur aqua super quam ferebatur Spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista et terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas quas nunc videmus acciperet. Sane dicitur, in hebræa locutione omnem aquarum congregationem, sive salsarum sive dulcium, mare appellari.

XIX. « Et dixit Deus : Germinet terra herbam pabuli » ferentem semen secundum suum genus et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem : et sic est » factum. Et eiecit terra herbam pabuli, ferentem semen » secundum suum genus, et lignum fructiferum faciens » fructum, cujus semen est in se secundum suam similitudinem, secundum suum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est, et facta est vespera, et factum est mane dies tertius ¹. » Hic solent dicere : Si Deus jussit nasci de terra herbam pabuli, et lignum fructiferum, quis jussit nasci tantas herbas vel spinosas vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, et tam multa ligna quæ nullum fructum ferunt ? Quibus sic respondendum est, ut nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret : non ut ipsa poenas sentiret, quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando a peccatis, et ad Dei præcepta converti. Herbæ autem venosæ ad poenam vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt : et hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuo-

¹ Gen. 1, 20-23.